

latius infra explicabimus, de baptismo, et de Eucharistia disputantes. Nunc breviter sciendum est, illud dici necessarium in præsenti, quod ad vitam consequendam necessarium est. Quo fit, ut tota hæc necessitas sit in ordine ad finem, et consequenter, quod tota dici possit necessitas medii, generali quadam ratione loquendo, quia quidquid est necessarium ad finem, præsertim si tempore antecedit consecutionem finis, merito dici potest medium ad finem necessarium. Rursus, quoniam sacramenta in humanis actibus consistunt, qui per se et natura sua non sunt ad vitam æternam necessarii, hinc consequenter fit, ut non possit in eis reperiri necessitas medii respectu adulatorum, nisi supposito aliquo præcepto, per quod inducatur illa necessitas. Quin potius generaliter verum est, nullum esse medium necessarium ad salutem, quod in actione hominis consistat, quod non sit etiam præceptum; quamvis in quibusdam præceptum et necessitas oriatur ex natura ipsorum actuum; in aliis vero tota oriatur ex præcepto, et extrinseca institutione, et hujusmodi sunt sacramenta. Quocirca sub hac ratione generali quodlibet sacramentum, quod est necessarium, ut medium, potest dici necessarium necessitate præcepti, et e contrario quodcumque sacramentum cadens sub præcepto potest etiam dici necessarium necessitate medii, eo modo, quo observatio mandatorum est medium ad salutem necessarium. At vero propria quadam et speciali consideratione distinguuntur illæ duæ rationes, quia necessitas præcepti solum requirit, quod præceptum sit impositum; necessitas autem medii in sacramentis ultra id consistit in hoc, quod sacramentum sit per se institutum ad conferendum effectum ad salutem necessarium, tanquam propria causa illius, et per se loquendo atque ex vi institutionis ad illum necessaria; quomodo baptismus est necessarius ad salutem.

2. *Sacramenta omnia utilia, non tamen omnia necessaria.* — *Tria sacramenta necessaria.* — De hac ergo necessitate medii loquitur D. Thom. hic, ut constat ex principio articuli. Atque ita respondet primo, quamvis omnia sacramenta sint utilia ad salutem, non tamen omnia esse necessaria. Quæ assertio clara est, nam constat, confirmationem, extremam unctionem, et matrimonium, non esse media ad salutem necessaria, cum non ordinentur ad effectus simpliciter necessarios; quatenus vero gratiam præstant, manifestum

est esse valde utilia. Solum de matrimonio oportet advertere, utilitatem ejus non tam esse considerandam respectu singulorum, quam respectu multitudinis, propter quam per se primo institutum est; nam simpliciter ac per se loquendo, respectu singulorum, sicut unicuique melius est castitatem servare quam copulari conjugio, ita simpliciter non est utilius hoc sacramentum propter effectum ejus, quam privari effectu ejus propter virginitatem servandam; ex hypothesi autem (ut sic dicam) id est, supposito quod matrimonium contrahendum est, seu respectu eorum, qui illud contrahere decreverunt, tale sacramentum utilissimum est. Secundo ait D. Thomas tria sacramenta esse necessaria ad salutem: unum, respectu corporis Ecclesiæ, quamvis non respectu singulorum, scilicet sacramentum Ordinis, sine quo, neque hierarchia Ecclesiæ posset consistere, neque alia sacramenta confici possent, vel simpliciter, vel modo debito. Duo vero, respectu singulorum, scilicet, baptismum absolute respectu omnium, quia omnes in originali peccato nascuntur; poenitentiam vero respectu eorum, qui post baptismum mortaliter peccaverunt, quia remissio talis peccati ad salutem necessaria est; et ad hunc effectum institutum est hujusmodi sacramentum. De sacramento autem Eucharistiæ non meminit D. Thom. in corpore articuli, quamvis aliorum sex sacramentorum mentionem fecerit; tamen cum tantum dicat, tria sacramenta esse necessaria, plane sentit, reliqua non esse necessaria, alioquin valde ambiguus esset in doctrina tradenda. Ac præterea in solutione ad secundum, cum argumentum eo tenderet, ut concluderet sacramentum Eucharistiæ esse necessarium, quia Joan. 6 dicitur: *Nisi manducaveritis*, etc., respondet in forma, inde non colligi necessitatem, quia illud verbum Domini (inquit) est intelligendum de spiritali manducatione, et non de sola sacramentali. Est ergo hæc aperta sententia D. Thom. hoc loco, quam infra latius tractaturi sumus, ubi etiam expendemus expositionem verborum Christi, quam hic D. Thom. tradit. Hic vero attente sunt ponderanda verba ejus; non enim negat D. Thom. Christum in verbis illis loqui de sacramento Eucharistiæ, nec de manducatione sacramentali, quia non sine causa addidit dictionem exclusivam, dicens: *Et non de sola sacramentali*; non ergo negat, Christum loqui de illa, sed de illa sola, quod valde diversum est; sentit igitur, verba illa

SECTIO I.

Quid sit cæremonia seu sacramentale.

intelligi posse de manducatione sacramentali vel spiritali, quod tamen verum non esset nisi de sacramento essent intelligenda, quia Christus non potest sacramentaliter manducari nisi in sacramento; licet in eo etiam possit spiritaliter manducari, et hic modus manducationis sufficere possit ad implendum id, quod in prædictis verbis Christi continetur, juxta expositionem D. Thom., quam, ut dixi, in proprio loco examinabimus.

3. *Can. Trident. juxta doctrinam D. Thom. intelligendus.* — Colligitur tandem ex doctrina hujus articuli, quomodo intelligendus sit canon Concilii Trident., sess. 7, can. 4 de Sacramentis in genere, ubi condemnat dicentes, sacramenta non esse necessaria ad salutem. Utrumque enim voluit comprehendere, quod in dictis assertionibus a D. Thoma explicatum est, scilicet, et omnia hæc sacramenta esse utilia, et absolute loquendo sacramenta esse necessaria, quamvis non omnia; quorum primum indicavit in illis verbis: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; superfluitas enim utilitati opponitur, et si inter sacramenta aliquod esset inutile, tantus sacramentorum numerus esset superfluus, et hoc intendit damnare Concilium.* Secundum vero docuit in verbis sequentibus, quæ per se satis clara sunt. Et hæc sufficiant de necessitate medii in communi. Nam in particulari dicemus in suis locis. De necessitate autem præcepti, quod hic D. Thomas omisit, generatim dicemus in sequentibus disputationibus moralibus; sigillatim vero postea.

DISPUTATIO XV.

DE SACRAMENTALIBUS, SEU CÆREMONIIS
SACRAMENTORUM IN GENERE.

Hanc disputationem prætermisit D. Thomas in hac materia; tamen, cum in singulis sacramentis, de uniuscujusque cæremoniis disserendum sit cum ipsomet D. Thoma, necessarium visum est, hoc loco præmittere ea, quæ communia ac generalia esse possunt. Nam revera, de his sacramentalibus fere omnia illa capita disputari possunt, quæ de sacramentis a nobis sunt generaliter dicta; tamen suppositis his, quæ diximus de sacramentis, brevius poterunt omnia expediri.

1. *Quid sit cæremonia, et ejus nominis origo.* — Prius quærimus quid sit, quam an sit cæremonia, tum quia per se notum est, cæremonias esse; tum etiam quia, sicut de sacramentis diximus, non potest in his rebus, vocis significatio satis exponi, nisi simul intelligatur, quid res ipsa sit. Advertendum est igitur in primis, nomine cæremoniae, si primam hujus vocis impositionem vel etymologiam attendamus, significari posse omnem cultum Dei externum, qui certo ac definito ritu fit ob majorem Dei reverentiam. In hac enim significatione Latini omnes ea voce utuntur, quam omnes etiam ducunt a Cære Italiæ oppido, vel a verbo cærendi, ut videre licet in D. Thom., 1. 2, quæst. 99, art. 3, et D. August., 2 Retract., cap. 37, et in hac fere significatione sumitur cæremonia in Scriptura veteri, ubicumque de legalibus cæremoniis agitur. Atque ita sub hac voce comprehenduntur sacramenta, sacrificia, sacra et observantiae, ad quæ quatuor capita revocat D. Thomas, 1. 2, quæst. 101, art. 4, omnes legis veteris cæremonias. Ex quibus duo prima quid sint, satis est in superioribus expositum; et de sacrificio dicemus in particulari postea tractantes de missa; sacra autem vocantur a D. Thoma ea, quæ sunt veluti instrumenta, aut res deputatæ ad sacrificia peragenda, aut sacramenta ministranda, ut sunt vasa sacra, vestes, templa, et si quæ sunt alia similia; observantias autem vocat, omnes actiones, quibus cultores Dei utuntur, ut eis sese ad cultum Dei disponant, ut sunt jejunia, genuflexio, usus signi crucis, et similia. In præsentis vero materia non utimur nomine cæremoniae in hac amplissima significatione, sed aptamus illam ad cæremoniam sacramentalem, et a Theologis appellari solet simpliciter sacramentale. Qua voce significamus actiones quasdam vel circumstantias religiosas, quas in sacramentorum administratione, vel sacrificii oblatione, Ecclesia observat, præter eas, quæ sunt de essentia seu substantia sacrificii, ut sunt, verbi gratia, in baptismo, unctio, exorcismus, et alia hujusmodi.

2. *Cæremoniarum varietas quanta.* — Secundo est observandum, cæremonias has, si materialiter (ut ita dicam) sumantur, et varias et multiplices esse, ita ut per omnia præ-

dicamenta distingui possint et variari; nam quædam interdum posita sunt in substantia alicujus rei, ut, verbi gratia, quod vino consecrando misceatur aqua naturalis, et non alia; quod unctio fiat in oleo olivarum, etc. Quædam revocari possunt ad quantitatem, vel continuam, ut quod aqua misceatur vino in quantitate valde modica; vel discretam, ut quod baptismus fiat tribus mersionibus. Rursus aliæ revocari possunt ad qualitatem, ut quod panis sit fermentatus, vel azymus; quod vestis sit hujus figuræ, vel coloris. Præterea, quædam possunt revocari ad relationem, quia solum propter deputationem quandam, aut extrinsecam benedictionem censentur sacræ, ut oleum benedictum, et alia hujusmodi. Item, quædam consistunt in temporis vel loci determinatione, ut templa et dies festivi. Aliæ pertinent ad vestitum sive habitum sacrum ac decentem. Aliæ revocantur ad situm, ut genuflexio. Aliæ denique in actione vel passione consistunt, et hæ sunt frequentiores; sub quibus comprehenduntur orationes, gestus, signa, et similia; quinimo omnia alia, quæ numerata sunt, in tantum ad cæremonias seu sacramentalia pertinent, in quantum in usu alicujus actionis sacræ observandæ sunt. Unde fit, posse etiam has cæremonias distingui, juxta septem circumstantias actuum moralium, quæ a Philosophis moralibus et Theologis numerantur, ut sunt circumstantia loci, temporis, personæ, modi, et similes.

3. *Cæremoniæ ut differant aliæ ab aliis.* — Tertio est observandum, omnibus his cæremoniis commune esse, ut ad divinum cultum ordinentur; hac enim intentione instituuntur et observantur ab Ecclesia, ut ipse sacramentorum vel sacrificii usus majori cum reverentia ac devotione fiat. Hoc igitur commune est sacramentalibus cæremoniis, cum sacramentis ipsis, vel sacrificio, quod actus sunt externi virtutis religionis. Differunt tamen ab ipsis, quod sacrificium continet ipsum supremum Dei cultum, quo Dei excellentiam per alicujus rei oblatae sacrificeationem seu immutationem profitemur; sacramenta vero ordinantur ad sacrificeationem fidelium, quam significant et conferunt, præsertim in lege nova. At vero sacramentalia ordinantur ad cultum Dei medio sacrificio, vel sacramento aliquo (ut sic dicam), nam proxime referuntur ad reverentiam seu convenientiorem modum offerendi sacrificium, vel ministrandi sacramentum. Differre autem possunt sacramen-

talia inter se, vel in ritu externo, ut dictum est, vel etiam in fine, quia quædam propinquius, quædam remotius respiciunt sacramenta; quædam ordinantur præcipue ad ornatum quemdam decentem ac religiosum, ut, verbi gratia, quod calix sit argenteus, vel aliquid hujusmodi; quædam ad majorem reverentiam, ut quod Eucharistia a jejuno sumatur; quædam etiam continent sacram significationem, ut quod baptizati induantur veste alba, etc.; ac denique quædam ordinantur etiam ad aliquem spiritualem effectum, vel sacrificeationem saltem imperfectam, ut postea dicemus.

4. *Cæremoniæ in præsentem quid.* — Ex his igitur satis constat, quid sit cæremonia, de qua hic agimus. Est enim exterior actio religiosa aut circumstantia seu conditio ejus, ad ornatum seu cultum debitum sacramentorum seu sacrificii instituta. Cujus descriptionis ratio ex dictis satis constat, et ex ipso usu, et ex intentione præsentis disputationis; hic enim non agimus de omni cultu externo, sed de illo tantum, qui est quasi circumstantia sacramenti, et a substantia ejus distinguitur, estque veluti accidens ejus; est ergo hæc propria ratio sacramentalis cæremoniæ, prout de illa nunc agimus. Verum est tamen et observatione dignum, quia cæremoniæ sacramentorum ejusdem fere rationis sunt cum nonnullis aliis ritibus, qui extra sacramentalis, latius frequenter usurpari, et doctrinam de his cæremoniis sacramentorum magna ex parte posse ad alias extendi. Et hoc modo disputant de his cæremoniis seu sacramentalibus plures auctores, præsertim Waldensis, in tomo integro de Sacramentalibus; Hosius, in Confessione catholica, cap. 37, et latius, cap. 86 et sequent.; et Lindan., lib. 4 Panopl., cap. 97 et sequent.; Bellarm., lib. 2 de Sacram. in gen., cap. 29; et antiquiores, qui de ritibus seu officiis Ecclesiasticis scripserunt, ut Isidorus, Alcuin., Amalar., Durand. et alii; et Raban., lib. 4 de Institut. Cler., a cap. 27; Hugo Victor., lib. 2 de Sacram., part. 4 et 5, postea in sequentibus agens de singulis sacramentis.

SECTIO II.

An usus sacramentalium religiosus et sanctus sit atque Ecclesiæ conveniens

1. *Primus error omnem externum Dei cultum repræhendit.* — Multi hæretici hos Eccle-

sia ritus superstitiosos et illicitos esse dixerunt. Variis tamen modis atque ex diversis principiis. Quidam enim in universum omnem cultum Dei externum reprobarunt; sed cum hi omnia evertant, non est quod hoc loco cum eis specialiter disputemus; hi enim, non solum accidentia, sed etiam substantiam sacrificii et sacramenti e medio tollunt; sufficiunt ergo contra illos, quæ de necessitate et utilitate sacramentorum dicta sunt et quæ dicemus postea de sacrificio; et videri etiam possunt dicta de usu et veneratione imaginum, in primo tomo hujus tertiæ partis circa quæst. 25; hic enim ex principiis et rationibus magis propriis agendum est.

2. *Hæretici alii aliter cæremoniarum usum exagitant.* — Hæreticorum insania confutatur. — Alii ergo ecclesiasticas cæremonias reprehendunt, eo quod sint humana inventa, absque divino præcepto vel auctoritate in divinis Scripturis contenta. Putant enim isti, licere quidem colere Deum externo cultu, non tamen alio nisi illo, qui in Scriptura sacra nobis præceptus est. In quo fundamento varii etiam errores continentur, qui aliis in locis magis propriis impugnandi sunt. Primus est, sola ea, quæ scripta sunt, non vero quæ traditione habentur, esse retinenda in Ecclesia et in veneratione habenda, contra Paulum 2 ad Thessalon. 2 dicentem: *Tenete traditiones, sive per epistolam, sive per sermonem.* Quia sine traditione, neque ipsa Scriptura divina potuisset a prophana discerni. De qua re legi potest Basil., lib. de Spiritu Sancto, cap. 72; Iren., lib. 3 contra hæres., cap. 3; Cyprian., epist. 2, circa finem; Epiph., lib. 4, hæres. 71; Hieronym., dialog. contra Lucifer.; August., lib. 4 de Baptism., cap. 24. Secundus est, solum illum externum cultum Dei esse licitum, qui ab ipsomet Deo præceptus et traditus est. Qui error est absurdissimus. Nam in primis nullum habet fundamentum in Scriptura vel traditione aliqua; nam in divina Scriptura potius legimus, in quolibet tempore seu statu homines sua sponte et arbitrio, et absque speciali præcepto Dei, variis modis Deum exterius coluisse; sic Genes. 4, Abel obtulit sacrificium de primogenitis gregis sui; et Noe, cap. 8, erexit altare et obtulit sacrificia de pecoribus multis; Jacob vero, cap. 28, votum vovit, decimasque obtulit Deo. In lege autem veteri, quamvis multa essent de divina lege præscripta, nunquam tamen fuit prohibitus voluntarius cultus, vel publicus, vel privatus; quin potius Levit. 23, postquam varia

sacrificiorum et festivitatum genera præcepta sunt, subditur: *Exceptis donis vestris et quod offertis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.* Atque Esther 9, Judith ultimo, 4 Machab. 4, quædam festivitates humana lege introductæ leguntur præter eas, quæ in divinis erant præceptis. In lege autem gratiæ nullibi reperitur prohibitio hæc facta a Christo. Quin potius, si ejus exemplum nobis imitandum est, constat ex Evangelio, eum sæpe fuisse externis cæremoniis usum vel elevando oculos, et externam gratiarum actionem atque orationem fundendo, vel accipiendo in manibus panem, benedicendo, oculos in cælum elevando, Luc. 9 et 22, vel orando genibus flexis, aut in terram precidens, Matth. 26 et Luc. 22, vel insufflando in Apostolos, ut eis Spiritum Sanctum daret; vel denique elevando manus, ut discipulis benediceret, Lucæ 24. Quocirca, cum hæretici negent esse credendum, quod non reperitur scriptum, ostendant, ubi sit scriptum hoc præceptum, quo prohibetur omnis cultus Dei exterior liber ac spontaneus, ut eis fidem adhibeamus; nam quod ex traditione sola non habeant hoc præceptum, certissimum est, cum potius contrarium ex traditione habeamus, ut dictum est, et statim dicemus latius. Nec vero fingere possunt ipsa naturali lege hoc esse prohibitum; nam potius lex naturæ, quæ docet, Deum esse actibus et signis externis ab homine colendum, vel quia ipse est auctor animæ et corporis, et ideo utrisque actibus coli debet, vel quia cum homo constet anima et corpore, in actionibus animæ multum ab actionibus corporis pendet, eisque juvatur ad illas melius exercendas, ipsa (inquam) lex naturæ, quæ hoc docet, ex se non definit hujusmodi actiones, quia licet fortasse aliquæ per se statim appareant aptiores ad hujusmodi cultum, ut sunt oratio vocalis, laus, genuflexio, elevatio manuum, pectoris tunsio, tamen, neque istæ sunt ita per se determinatæ ad cultum Dei, quin aliæ similes possint ad alias personas referri; nec sunt ita necessariae, quin aliis modis possit idem religiosus animus significari. Hic ergo modus ex ipsa lege naturæ non est definitus; unde necessario fit, per hanc legem non prohiberi voluntarium modum exterius colendi Deum, sed potius relinqui, ut vel positiva lege, vel certe uniuscujusque arbitrio determinetur. Hoc ergo semper licitum est, quamdiu speciali lege divina vel humana non est prohibitum, dummodo prudenter ac decenter fiat.

Sed dicunt hæretici, quamvis hujusmodi cultus spontaneus licitus esse possit in lege nova, non tamen esse licitum, illum præcipere, ita ut illius ommissio, peccatum reputetur, quia hoc est contra privilegium legis gratiæ, quæ est lex libertatis; nam subjici hoc modo his cæremoniis et ritibus, magna est servitus. Sed in hoc inculcatur tertius error, quo negant habere Ecclesiam potestatem præcipiendi atque ordinandi ea, quæ ad convenientem modum dispensandi sacramenta fuerint necessaria. Cujus contrarium definivit Concil. Trident., sess. 21, can. 2, et in materia de legibus et de ecclesiastica potestate impugnatur ex professo hic error, et in sequenti sectione nonnulla afferemus.

3. Alii denique non reprobant generatim omnes cæremonias, sed specialiter invehuntur in illas, quæ nunc Ecclesia Romana observat, quia dicunt esse vanas et superstitiosas. Sed non est hic locus dicendi de singulis, sed cum agemus de specialibus sacramentis, ubi aperte ostendemus, hanc esse falsam calumniam. Illud vero, quod generale omnibus est, scilicet, quod a nobis fiunt intentione cultus, et tanquam pertinentes ad virtutem religionis, hoc (inquam) superstitiosum esse dicunt, quia licet in sacramentis tradendis oporteat servare modum et debitas circumstantias, ut omnia honeste et secundum ordinem fiant, ut dicitur primæ ad Cor. 14, tamen hoc solum esse volunt propter quamdam humanam politiam, non vero ex intentione cultus et religionis; nam hoc dicunt esse superstitiosum. Qui error non potest nisi aliquo ex supra rejectis fundari, nam si cultus Dei exterior voluntarius aut lege humana præscriptus ex se non est malus et superstitiosus, neque etiam erit malum, illum intendere; ergo neque etiam erit per se malum, cæremonias sacramentales hac intentione observare.

4. *Conclusio.* — *Cæremoniarum utilitas.* — Prætermisissis ergo hæreticorum sententiis, dicendum est, usum sacramentalium cæremoniarum, quas nunc Ecclesia observat, pium esse et ad cultum Dei secundario saltem pertinere, et Ecclesiæ ac fidelibus non parum esse utilem. Conclusio est de fide, quoad omnes partes, ut colligitur ex Concil. Trident., sess. 7, can. 13 de Sacramentis in genere; ubi hos ritus in solemnibus sacramentorum administratione adhiberi consuetos, et ab Ecclesia Catholica receptos, et approbatos, observandos ac retinendos esse definit. Potest etiam

conclusio ex generali principio ostendi, quod Ecclesia non potest errare in his, quæ ad fidem et mores pertinent; servare autem cæremonias religiosas et utiles ac non superstitiosas, maxime pertinet ad bonos mores Ecclesiæ. Deinde, quod hæ cæremonia sint honestæ, satis patet ex his, quæ contra hæreticos diximus, quia ex objecto non sunt malæ, neque ex aliqua circumstantia, quam per se requirant. Nulla enim circumstantia hujusmodi fingi, aut assignari potest. Rursus ex fine proximo ordinantur ad decentem, et convenientem modum administrandi sacramenta; sicut ergo sacramentorum administratio ad religionem pertinet, ita etiam harum cæremoniarum observantia, quantum est ex se et ex fine suo; et ideo dicuntur pertinere ad cultum secundarium, non solum quia continent cultum externum, sed etiam quia in ipsomet externo cultu sint veluti accidentia aliarum actionum nobiliorum, scilicet, sacrificii, et sacramentorum. Tandem ex hoc fine facile colligitur utilitas harum cæremoniarum; conferunt enim primo, ut ipsa sacramenta debito honore tractentur, et in majori æstimatione et reverentia habeantur; nam cum eorum substantia in paucis verbis et exterioribus actionibus aut rebus externa specie vilioribus atque infimi ordinis consistat, nisi cæremoniarum apparatu et significatione elevetur animus ad cogitandum aliquo modo de mysteriis sub illis signis contentis, et ad concipiendam devotionem et reverentiam illis debitam, facile vilescerent et despicerentur, præsertim a rudioribus hominibus, qui sensibus fere ducuntur. Igitur per has cæremonias docetur Christianus populus sub sensibilibus sacramentis magna mysteria contineri; et ideo magna veneratione esse tractanda. Secundo conferunt hæ cæremonia ad majorem quandam intelligentiam et memoriam mysteriorum fidei, ut, v. gr., fere in omnibus sacramentis adhibere crucis signum, ut constat ex Steph. Pap. in cap. Nunquid, de Consecr., d. 5, et August., tr. 418 in Joan., et serm. 49 de Sanctis; illud autem fit, ut eo signo admoneantur fideles, virtutem sacramentorum ex Christi morte derivari. Similiter, dum in baptismo præmittuntur exorcismi et insufflationes, docentur fideles, pueram, antequam baptizetur, esse sub potestate dæmonis originale peccatum; et ita hoc argumento utitur sæpe August. ad probandum originale peccatum ex usu et traditione Ecclesiæ, ut videre licet lib. 4 de Peccat. merit. et remis.

cap. 34, et lib. 6 contra Julian., cap. 2, et alia exempla videri possunt in Leone Pap., epist. 81, et Innocentio I, epist. 4. Nec refert, quod non omnes fideles intelligant hæc mysteria; satis est enim, ut a Doctoribus intelligantur, qui simpliciores docere possint de his, quorum ipsi sunt capaces, quæve ipsos scire oportet; hujusmodi enim hominibus frequentius sufficit admiratio illa, quam in eis causat ipsamet cæremoniarum gravitas, et auctoritas, sub quibus statim concipiunt aliquid sacrum contineri, quamvis, quid illud sit, ignorent. Tertio per hæc conservatur et augetur devotio fidelium, ut recte docuit Augustinus, lib. de Cura pro mort. agend., c. 5, et epist. 449, cap. 44, qui tamen addit c. 49, cavendum esse, ne nimium sit hoc cæremoniarum onus; tantum enim esse potest, ut animum distrahat et impediatur. Quo solo servato moderamine ac prudenti consilio, ut revera ab Ecclesia servatur, ruunt objectiones omnes et calumniæ, quas hæretici excogitare possunt. Quarto tandem deservire possunt hæ cæremonia ad distinguendum fidelem populum ab infideli, et unitatem Ecclesiæ commendandam, ut significavit Innocent. supra, et Concil. Tolet. 4, can. 2, et ideo diligenter vitat Ecclesia in hujusmodi cæremoniis et observantiis omne consortium et apparentem similitudinem cum Judæis vel aliis infidelibus, ut colligitur ex Augustino, dicta ep. 449, et Epiph., lib. 3 contra hæres., in fine, ubi multa de his cæremoniis congerit.

SECTIO III.

Quis possit sacramentales cæremonias instituere, mutare aut ministrare.

1. Diximus de substantia et ratione harum cæremoniarum, sequitur dicendum de causis earum. Et causa quidem finalis explicata jam est. Causa vero materialis, seu formalis in genere definiri non potest; sed in singulis observanda est pro ratione institutionis. Solum ergo generatim dici potest, intrinsecam veluti formam, ac materiam uniuscujusque cæremonia consistere in eo ritu, qui est ab habente potestatem institutus ac definitus. Igitur dicendum superest de causa efficiente; quæ duplex esse potest, sicut de sacramentis diximus, scilicet instituens, et ministrans.

2. *Cæremonia, quæ sunt extra substantiam sacramenti, non sunt immediate a Christo instituta.* — Dico ergo primo: sacramentales

cæremonia, quæ sunt extra substantiam sacramentorum, quamvis interdum introductæ sint ad imitationem seu exemplum Christi, non tamen sunt ab eo immediate institutæ. Prior pars partim ex dictis præcedenti sectione constat, partim potest facile exempli ostendi; nam in conficienda Eucharistia ex Christi exemplo manavit mistio aquæ in vino, teste Cypriano, epist. 63, atque ex eodem fonte manavit usus Ecclesiæ Latine conficiendi in azymo et non in fermentato; atque similia exempla facile adduci possunt, quæ in singulis sacramentis latius persequemur. *Posterius ergo pars* colligitur ex Concil. Trident., sess. 21, cap. 2, docente, *salva substantia sacramentorum*, reliqua fuisse Ecclesiæ commissa; quod latius confirmabimus conclusione sequenti; ergo signum est, cæremonias, quæ sunt extra substantiam sacramentorum, non fuisse in particulari a Christo Domino præscriptas. Quod potest confirmari secundo, ab auctoritate negativa, quæ nequæ ex Scriptura, nec ex traditione constat, Christum Dominum hujusmodi cæremonias instituisse, aut in particulari præcepisse. Quin potius dogma est receptum ab omnibus Theologis, Christum in lege nova præcepta præterquam fidei et sacramentorum tradidisse. Tertio, ex usu idem colligitur. Nam in his cæremoniis pro diversitate temporum et locorum reperitur varietas in Ecclesia, substantia sacramentorum invariabili manente; ergo signum est, hanc solam esse de jure divino et immediate a Christo Domino definitam. Quarto hinc sumitur ratio seu congruentia hujus assertionis, nam sacramenta ordinantur ad spiritualem hominum sanctificationem, quæ a Christo Domino fuit principaliter intenta, et ideo oportuit ab ipso tanquam ab auctore nostræ salutis et gratiæ institui. Atque idem semper intelligendum est de sacrificio, nam hoc etiam oportuit a Christo institui, quia continet proprium ac principalem Dei cultum, et quia in eo offerendus erat ipsemet Christus. Denique ad majorem Ecclesiæ unitatem et stabilitatem necessarium fuit, ut hæc, quæ sunt veluti fundamenta Ecclesiæ, immutabilia essent, ex Christi institutione. Cætera vero, quæ accidentalia sunt, non oportet ita institui ac definiri, quia pro temporum diversitate expedire potest, ea variari. Unde hoc etiam pertinuit ad perfectionem legis Evangelicæ. In veteri enim lege, quia erat lex servitutis, magis consistens in exterioribus oneribus, quam in interiori gratiæ